

## DEFINITIONES.

3

posse, priori modo in situ absolute seu partium cum toto; *Ordine*; posteriori in situ relato seu partium ad partes, *Vicinitate*, quæ quomodo differant infra dicemus def. 4. & 5. Hæc processus loco sufficient, ut qua in disciplina materiae hujus sedes sit, fiat manifestum.

## DEFINITIONES.

1. *Variatio* h. l. est mutatio relationis. Mutatio enim alia substantiae est alia quantitatis alia qualitatis; alia nihil in re mutat, sed solum respectum, situm, conjunctionem cum alio aliquo.
2. *Variabilitas* est ipsa quantitas omnium Variationum. Termini enim potentiarum in abstracto sumti quantitatem eorum denotant, ita enim in Mechanicis frequenter loquuntur potentias machinarum duarum duplas esse invicem.
3. *Situs* est localitas partium.
4. Situs est vel absolutus vel relatus: ille partium cum toto, hic partium ad partes. In illo spectatur numerus locorum & distantia ab initio & fine, in hoc neque initium neque finis intelligitur, sed spectatur tantum distantia partis à data parte. Hinc ille exprimitur linea aut lineis figuram non claudentibus neque in se redeuntibus, & optimè linea recta; hic linea aut lineis figuram claudentibus, & optimè circulo. In illo prioritatis & posterioritatis ratio habetur maxima, in hoc nulla. Illum igitur Optimè *Ordinem* dixeris;
5. Hunc *viciniam*, illum dispositionem, hunc compositionem. Igitur ratione ordinis differunt situs sequentes: a b c d. b c d a. c d a b. d a b c. At in Vicinitate nulla variatio sed unus situs esse intelligitur, hic nempe: a c b d. Unde festivissimus Taubmannus, cum Decanus Facultatis philosophicæ esset, dicitur Wittebergæ in publico programmate seriem candidatorum Magisterii circulari dispositione complexus, ne avidi lectores intelligerent, quis suillum locum teneret.

B 2

6. Va-